

multum rogavit. Tertius jam operis nostri tomus sub prelo ire cepit; quo absoluto paullulum interquiescam, vel, ut eruditius loquar, interjungam. Id quod ego jam dudum cupio.

Commodum ista scripseram, cum alter ad me fasciculus tuus allatus est: in quo erat metamorphosis una de tuis, quas olim commentari te mihi significaveras. Ejus aliquot è vestigio paginas devoravi. Cetera subinde perlegam. Visa mihi sunt, quæ raptim obire potui, poetico lepore condita, & imprimis Latina. Vale. 6 Jun. 1642.

EPISTOLA XXXVI.

Francisco Vassalori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

ET brevior tibi: & minus limatam epistolam rependam pro tua illa castigata & imprimis polita, quam ad me pridie Non. Octobres misisti. Cur quam & soleo, & forsitan expectas, scribam modo brevius, causam dedit nec opinata faciendi hujus occasio, quæ se mihi commodum obtulit. Misisti enim ad me famulum suum Parisiensis Senator Ponticarreus, qui cum una pransiambo sumus aliquando; rogatum ut commendatitiam epistolam ad Patres nostros Bituricenses scriberem, quò sororis suæ filios studiorum gratiâ mitteret. Eam sum rescribendi tibi ansam libenter amplexus; tum ut ne te longius differrem: tum ut excusationis aliquid caperem ex illa festinatione, si minus tuarum litterarum elegantiam assequi possem. Sed mitto quod non solum longioris, sed etiam justæ instar epistolæ esse debet, carmen tibi, quod jubente P. Rectore nuper effudi, in templum S. Francisci Xaverii in suburbio S. Germani à Francisco Subleto Noerio à fundamentis extructum. Ad quod ingenii tui, ac judicii limam admovere te volo. Simul illud rogo; uti pueros istos, de quibus initio scripsi, quam commendatissimos & habeas ipse, & aliis facias. Vale, ac Deum pro me precare. iv. Non. Dec. 1642. ipso die B. Franciscus Xaverio sacro.

Injunxerat P. Rector unicuique nostrum in templi partes singulas Epigrammata scribere: Ego tholum sortitus eram. de quo illud habeto.

*Dona pii: fortes hostis monumenta subacti
Suspendunt medio bellica signa tholo.
Tu neutrum, Sublete, facis: sed minus utroque
Grandius, hac per te condita templa voves.
Nec mirum est: pietas hoc major, opinique cupido
Victa tibi quovis fortior hoste, parit.*

EPISTOLA XXXVII.

Francisco Vassalori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

NON potuit alieniori tempore tuus ad me liber venire. Ita sum negotiis & variis & necessariis non vallatus modò, sed panè obrutus. Maxime verò in tomorum trium conficiendis indicibus crux mihi certissima constituta est. Nam tres in unumquemque destinavi, hoc est universè novem. Non potui tamen, quin tibi morem gererem, ac versus tuos percurrerem: tum etiam quibuldam nostrorum, eruditi ac limati judicii legendos traderem. Quorum omnium mecum conficiens judicium fuit: quod tibi, quoniam ita vis, & horarum, paucis, & ingenue perscribam. Imprimis convenit, omnes illos cum primis Latinos esse; hoc est, dictionem habere castigatam, ac puram, & ad nitorem antiquitatis exactam; cujusmodi est Catulli, Lucretii: quem tu in plerisque adamare, & imitari videris: tum Horatii; & si quæ sunt alia Latini floris veneres, delicatæque. Verum illud de titulo & inscriptione libri; scito nec mihi, nec illis quos adhibui in consilium, probari *μεταμορφώσεως* dici opus tuum. Quod tu quidem præfatione tua purgare voluisti. Sed minime persuadeas. Nam nihil minus habent plerique, quam quod vocabulo isti respondeat, exceptè unâ vel alterâ historiâ. Quid autem attinet *μεταμορφώσεως* vocare transitus à morbo ad sanitatem? Nimium, mihi crede, laxa est,

& ampla nominis usurpatio, quam vereor ut satis tueri possis. Etenim de Ovidio quod scribis, habet ille quidem *μεταμορφώσεως* plurima, & adventicia. Sed quæ non ex instituto, neque *μεταμορφώσεως*: verum alterius gratiâ; & ad nexum, ac velut commissuram fabellarum, quæ propriè dictas habent *μεταμορφώσεως*, illigari sentias. Tua ratio non est eadem, quippe nullam admodum attingis historiâ, quæ propriè nomen illud mereatur; præter unam, ut dixi, vel alteram. Hæc de opere tuo, quoniam sic jubes, putavi tibi scribenda. Ac nonnulla etiam ad marginem adnotavi, quæ parva commutatione meliora posse fieri crederem. Tu utrumque bonam in partem accipies, & idem in meis verbis, ceterisque scriptis, non me solam æquo animo ferente, verum etiam laudante, & hortante, fas tibi esse confides. Vale. Scripsi hæc uno propemodum impetu; properans scilicet; & ad ea, quæ sunt præ manibus, animo gelidens. Deum precor, ut te incolumem, ac fortunatum velis. VIII. Cal. April. MDCLXIII.

EPISTOLA XXXVIII.

Francisco Vassalori Societatis Jesu, Avaricum Biturigum.

PRIORIBUS tuis litteris respondere meditantem genus alterum responsionis avocavit, quod multò urgebat magis, & defugere nullâ excusatione poteram. Id quale sit, neque tu ignoras, & jam, opinor, visisti. Altera cunctandi causa fuit, quòd te propediem huc esse venturum intelligerem; ac coram, te de meis, meque de tuis rebus cogniturum. Itaque statueram nihil ad te litterarum dare. Sed expugnavit pigritiam meam posterior epistola tua, quæ te de perfectione monuit, neque nolente id me facturum esse significasti. Non is sum qui meam operam tibi venditem, & ostentem. Tantum illud dicam, optatissimum omnibus, qui hic sunt adventum tuum, mihi verò longè jucundissimum futurum. Quamobrem te hortor, ut quam citissimè potes, ad nos advoles. potes autem ineunte hebdomadæ sanctæ. Quod in tempus expectari te à me scito. Interim quid post Paschales ferias prælegere in scholis commodo tuo debeas, apud te constitues. Licet autem ex Novo Testamento quidquid voles capere, præter unam ad Romanos epistolam, quæ hoc semestri priore à nobis est exposita. De Hebraicis studiis iterum appello te; & ut in ea gnæviter incubas, monco acrius, & insisto. Et si jam te spero in litteris istis luculenter esse progressum. Quippe ita jam pridem fuaseram, & te non aliter facturum receperas. Vive, vale, ac pro me communem deprecare Dominum: meoque nomine cum primis R. P. Rectorem saluta. ac de Luculli hospitibus in memoriam illi revoca: si tamen scis quid iste sint. tum Patres, fratresque ceteros: maximè NN. quorum ego me precibus, ac sacrificiis commendo. iv. Non. Mart. MDCLXIV.

EPISTOLA XXXIX.

Nicolaus Borbonio V. Cl. Andomatumum Lingonum.

GRATISSIMA mihi tua recordatio est veteris amicitie nostræ, quam sibi te sæpè esse testatum scripsit ad me Nicolaus Oudæus qui Lingonenis familiæ nostræ præest. Is te quoties domum convenit, toties de me exortum abs te sermonem esse dicit cum præcipua significatione pristinae in me tuæ voluntatis, & honorifica commendatione nominis mei. Quod utrumque quia nullo meo merito, sed abundantia quadam bonitatis & humanitatis facis; eò pertinere debet non ut tanti me faciam, quanti me esse vis; sed ut quoquo modo carum me esse tibi vehementer gaudeam. Ego verò neque amare te unquam desii (Vir Clarissime) & ea perpetuò prædicavi, quæ in te esse singularia perspexi, summam ingenii eruditionisque vim cum pari animi candore, & *ἀνοχία*. Quorum alterum commune habes fortasse cum paucis: in utroque verò superiorem, ut opinor, neminem. Quocirca libenter ea sum usus occasione, ut quod jam dudum cupiebam, ad te scriberem, mutuamque consuetudinem nostram longo

LIBER TERTIUS.

longo intervallo revocarem. Quod meum studium, si tibi non ingratum esse cognovero, repetam illud quam voles sæpè, quantumque tua illa tot modis infirma valeat patietur. Nunc ne gratis hoc quodcumque est mutæ scriptiois officium occupasse videar, peto imprimis abs te; me, quod hæcenus fecisti, constanter ut ames, teque vicissim amari confidas: tum ut Patres nostros, qui illic apud vos degunt, eodem illo amore ac benevolentia complectare, & quibus potes auctoritatis tuæ præfidis tegas, atque confirmes. Scribit ad me ille ipse, quem paullò antè nominavi, Nicolaus, omnia abs te, quæ quidem optari ab ordinis istius homine possunt, exitare in se hæcenus amici animi, & benevoli signa; tibi que ut eo nomine gratias agerem litteris suis hortatus est. Id non solum facis quantum possum, sed etiam oro obsecroque ut ad hunc amorem in illos tuum, amorisque significationem nonnulla meâ causâ fiat accessio. Ego si quid vicissim tuâ gratiâ possum, etsi debitum jam pridem tibi esse sentio, dabo operam ut libentius, quam unquam antea, & cumulatius à me persolvatur. Vale.

EPISTOLA XL.

Nicolaus Borbonio V. Cl. Andomatumum Lingonum.

NUMPER ad me cum scriberes (Vir Clariss.) vereri te dicebas neficò quam meam Latinæ linguæ facultatem, quòd minore ad me fiduciâ, quam ad mortuum Ciceronem Petrarcha quondam, litteras dares. Hoc, nisi te penitus nossem, jocandi, & illudendi mei gratiâ dictum interpretarer. Nunc vel amori erga me tuo; vel singulari animi de se nimium pusillè, de aliis magnificè sentientis modestiâ malo tribuere. Ego verò, quod undecumque potius, quam ex rei veritate profectum de me judicium intelligo, multò id in hoc meo factò de te justius usurpare mihi posse videor. Nam cum ad te ceterarum quidem humanitatis artium, sed poetices imprimis laude florentem; quædam hoc in genere à me nuper elucubrata mittam; vereri abs te mihi multò debeo magis, atque ingenio meo, facultatique diffidere. Quod equidem facerem; nisi excellentem illam vim tuam, ac præstantiam summam conditam humanitate, & amore in nos, ac benevolentia cognoscerem. Pro qua id mihi tribui abs te peto, Latinos ut istos Græcòsque versus non patienter modò legas, fed etiam jucundè. Quòd si nihil aliud, certè argumenti genus ipsum impretare potest: quod etiam, ut ad illos scribendos tanto me intervallo referrem, persuadere mihi potuit. Scis enim quam pridem, ab hæcè musicis studiis animum meum atque operam abduxerim, aliòque transfulerim. Quò me identidem & ex intervallo referre minis penitebit: si optimo hac ætate judice te, operæpretium ullum in his quæ tibi offero fecisse videor. Vale.

EPISTOLA XLI.

Sichardo Gachiacensi Abbati Perigniacensi.

FRASTRIS tui dignam æternitate memoriam, quam non longo elogio sum complexus, mitto ad te, Reverendissime Pater, vel amoris erga illum & observantia testimonium, vel virtutis illo ordine dignæ formam & exemplar, cujusmodi in vita sua, & moribus expressit: De quo elogio profiteri hoc unum possum, nihil in eo vel ambitiosè conficium, vel supra rei veritatem auctum & amplificatum esse. Cujus rei cum ipse mihi sum testis, tum ceteros omnes conficios habeo, teque præferam, qui omnium illum optime nosti.

Galliardus Cornaci Abbas Villalupani ad Angerum in Turonibus, memoriæ sacrum.

QUI Tolosæ Senatorio genere ortus, majorum claritudinem animo ac virtute supergressus est. Septennis Lutetiam Parisiorum, linguæ & ingenii formandi causâ missus, ibidem excellentibus magistris Turnebo, ac Maldonato operam Paris III.

dedit. Tolosam rediens Joanne Corraffo celebri Jurisconsulto doctore tantum profecit, ut vix duodeviginti natus annos, quod didicerat, magno concursu, & approbatione professus sit. Postea in Senatum electus, inde ab Ill. Cardinali Borbonio in contubernium adjectus quem ita sibi demeruit, ut is in ejus amore, & obsequiis acquiesceret; consilio verò pædè in omnibus uteretur. Nec ille præpotentis amicitia præmia ambitiosè sibi usurpare instituit: sed ad aliorum rationes, & humanitatis officia transiit. Multa & fructuosa sacerdotia ultro sibi delata, majora quam pro meritis suis causatus, in alienos sæpè derivavit. In magna spe rerum amplissimarum, cum & purpureus jam ei galerus ostenderetur, mortuo patrono, cui ut in secundis, sic in adversis fidem præstitit, quadriennali & eo amplius, custodia maceratus, sese mox ad Cavolum Lotharenum Mainensium principem applicavit. Huic summis & difficillimis in negotiis, crebrisque legationibus industriam probavit suam. Eo quippe, & Janino velut socialibus & interpretibus, pax inter Henricum M. & Federatas partes coaluit. Cujus ut apud Clementem VIII. Pont. Max. rationes exponeret, legatus Romam profectus, adeo se cum ceteris, per quos iter habebat, Italiae regulis, tum illi ipsi Pontif. commendavit, ut ad familiam suam ultro eum invitavit: recusantem honestissimo ad Mainensium principem elogio profectus sit. Rome quoad fuit, Gallicani regni commodis, & Henrico M. quod tum agebatur, cum Pont. Max. conciliandæ sedulam, atque utilem navavit operam. quod ipsum Cardinalis Dossatus litteris suis testatus est. Reversus in Galliam, & in Villalupano cœnobio pietati, ac litteris deditum Mainensium principis obitus interpellavit. à quo testamenti executor factus est: cum in supremis mandatis id præcipue filio mandasset, ut ex Abbatis Villalupani consilio penderet. quod illi salutare inceps fuit. In magna fortuna varietate, ac civilibus bellis, irretitum factionibus principem aut contumit auctoritate sua, aut ad officium denique revocavit. Ad eundem Aquitaniam deinde profectum regis litteris velut consiliorum moderator ire jussus, tam utriusque, quam provincie satisfacit adeo secunda fama, ut ad eum rex suapte manu scribens, sacri Consistorii comitum repræsenterit, Episcopum verò primo quoque tempore destinavit.

Secundum hæc, Mainensium principem novis civilium armorum turbibus abreptum, ac post ceteros cunctantem, iterum regis ad potestatem, & obsequium adjunxit. Eidem postea Aquitania tota legitima contra perduelles, & hæreticos arma circumferenti consilio & auctoritate præsto fuit. Eo mortuo, pristinam se ad quietem, pacisque studia convertit. In Villalupano itaque secessu quod reliquum fuit ætatis per Catholicam pietatis officia, & honestarum cultum artium exegit. Græcis, ac Latinis litteris apprime doctus utroque genere perleganter dicebat. Nullam non disciplinariam partem à pueritia profectus; tum memoria ad ingravescentem ætatem usque firma, ac præsentè semper existit. Veteres, ac recentes, peregrinas, & vernaculas omnes historias quam fidelissimè, jucundissimèque reddere solitus: nihil ut ejus convicte, ac colloquio suavius putaret. Ad continuum orandi, castitæque tractandi studium cum virtutes ceteras, tum in egenos prolixum, ac liberalem adiecit animum. Præter usitatas, & continuas sipes, quas prætereuntibus adsperebat; quinquaginta senibus certam quotidie pecuniam suapte nonnunquam manu distribuit. In summa verò annua caritate, octingentis circiter diurnam sportulam erogavit; in eòsque sumptus æs alienum grande convulsit. Super legitima Quadragesimæ, ac reliquorum temporum jejunia, quæ ne septuagenario quidem major onisti unquam, bina sibi hebdomadis singulis indixit. Viciorum circumquaque lites, & similitates pari auctoritate, ac prudentia composuit. His aliisque Christiano dignis homine studiis intentus, saluberrima hæcenus valetudine, nec ullis ætatis incommodis affecta, Sacramentis omnibus ritè perfunctus, inter religiosorum vivorum complexus, quos Augustini exemplo penitentia Psalmos identidem recitantes audiebat, placidum, ac fiducia plenum spiritum Domino commendavit. 111. Eid. Dec. am. Christi MDCLXXVI.

EPISTOLA XLII.

Francisco Bravo nobili Hispano, Antuerpiani.

Nihil abs te consultius fieri potuit, quam quod fecisse te scribis, ut ab armorum bellicæ strepitu, ad otium te litterarum, ac pacis studia transferres.

Nam, ut tuâ quod privatim refert, omitam modo; illa ipsa, quarum ad consuetudinem redisti, litteræ jacturam maximam facturæ videntur; nec nisi ægerimè, ferre posse, ut ea nobilitate, ea ad omnes disciplinas indole, ac spe juvenis, hunc sibi jam desponsum ætatis, & ingenii florem à se abjiceret, aliòque transfunderet. Quod autem hujus me tui consilii fautorem habere studuisti, cùmque tibi mutam ad consuetudinem nostram aditum fore putasti; in altero quàm non sis spe tua falsus, meum de tuo factò quod exposui judicium ostendit: de altero vereor ne quem nimium opinionone tua finxisti, perussillum ex hoc usu nostro, amicitiaque fructum minorem certè fama, expectationeque tua capias. De me enim qualicumque concitatus est hominum rumor, non potest non esse merito meo major. quanto sit verò; ut alii non sentiant, ego certè ignorare non possum, cui quò familiarior est, eò magis est imbecillitas ipsicitiaque mea, quàm illis falsa quædam quæ in me apparet species nota doctrinæ. Sed ut de me loqui desinam; ad teque revertar; magnopere hic scito laudari studium tuum, quod in erudiendis è Laurentiana bibliotheca veteribus libris ponere tedicis. De quo plura Simondus noster ad te scribet. Hic enim Catalogi tui, quam utrique mandasti, curam in se recepit omnem, hæcenus quidem, ut super singulis quæ tu rogaras adscriberet. Nam ut investigari, expediturque istud ipsum, quod ad te scriberetur posset, communis cum illo sollicitudo mea fuit. Ex ejus ergo litteris ea cognosces, quæ de libris istis ab utroque scire voluisti. Postremò quòd mihi ex celebri illa Laurentiana bibliotheca, facis quæ velim optandi copiam, accipio magni ac liberalis, & in me supra meritum prolixo animi specimen; cujus ut te nunquam poniteat, quibus potero vicissim officiis operam dabo. Deum interim precor; ut tam eximia indole, tantaque virtute, & humanitate, quæ est in te, dignos fructus propediem existere, & in multis annos propagari patiat. Vale.

EPISTOLA XLIII.

Vincenzo Marinero V. Cl. Valentiam.

JUSTISSIMA est querela de me tua (Eruditissime MARINERI) neque causæ quicquam est, quin & meritò tu mihi succenseas, & ego quam voles poenam commiserim. Nam nescio quâ meâ vel incuriâ, vel oblivione accidit, ut cùm aliquot ad me litteras dederas, ego nullas ad hunc diem reponerem. Id adeo non contemptu factum tui velim interpretare. Neque enim is es, qui contemni debeas: neque ut præter meritum tuum possis, à me id certè metuendum est tibi. Ac ne solus hanc invidiam totam officii neglecti sustineam; scito temporibus ipsis, ac momentis, quibus ad me tuæ perlatae sunt, quiddam esse tribuendum. Nam partim peregrè degenti mihi, partim necessarias in res intento, & occupatissimo date fuerunt. Itaque dum identidem quod præ manibus est responsioni prævertitur, longius, quàm par erat, extracta res est. Tuæ hoc æquitatis, & humanitatis erit, quamlibet gravem hanc condonare culpam, ac nihil propterea de amore in nos tuo remittere: quod uti scribis, ita facere te confido, vehementerque lator. De libris tuis, quos hac misisse tibi scribis, nihil equidem accepi. Neque si edantur in lucem, meum iis nomen inscribi velim; immo verò id ne fiat magnopere postulo. Nam neque me tali honore dignor; & tu alios invenire potes, apud quos eam gratiam fructuosius, honestiusque colloces. Vale.

EPISTOLA XLIV.

Eusebio Nierembergii Societatis Jesu, Madritum.

ET jucunda mihi tua de me sollicitudo fuit, & quid faciendum esset admonentis, prudentiæ plena, & auctoritatis oratio. Ego verò existisse aliquem, qui me contra scriberet neque miror, neque moleste feror: tantâ autem inficitia, ac cùm stili, tum ingenii barbarie præditum hominem id instituisse; partim miror, par-

tim etiam non meâ id quidem, sed communium litterarum causâ dolendum puto. Esti magnam partem admirationis hujus litteræ tuæ sustulerunt, quibus ita graphicè expressus homo iste est: minime ut mirum sit ab tam vasta, & aegre indole tam facturum & horribilem foetum editum fuisse. De hoc mihi quid factò sit opus, nondum statui. Nam cùm ad librum ipsum, auctoremque Alphonsum Caranzam respicio, planè scribendi consilium abjicio. est enim uterque misericordia, vel, ut severissimi sumus, contemptu, quàm odio & infestatione dignior. Cùm autem subit animum meum factus hominis, ex imperitorum judicio collectus: is ne impunitate longius serpat, reprimendus, atque absterrendus videtur. Itaque nondum, ut dixi, deliberatum mihi est, quid possimum sequar. Ut autem prius illud amplectar, expectandum nihilominus erit, dum alter nescio quis illius liber ad nos venerit, cujus anteaambulonem esse Diatribam suam significat: & ad quem nobis panè singulis verbis digitum intendit. Hunc nos hæcenus expectamus. Interim de hoc in me caritatis officio gratiam tibi habeo maximam, quam, si qua re possum, remetri cupio; tantisper dum plenam ab communi Domino mercedem eo nomine capias; quam tibi sempiternam, & uberrimam cupio. Vale.

EPISTOLA XLV.

Petro Castellarnavio Societatis Jesu, Barcinonem.

GRATA mihi provocatio tua mutui inter nos officii, ac familiaritatis fuit, nec jucunda minus bene de me merendi voluntas primùm è Schotti nostri; tum ex tuis litteris perspecta. Scripsit ille mihi jamdudum, se quicquid istiusmodi scriptorum, quo me in genere versari modò sciret, ex Hispania, locisque ceteris corrogare posset, diligenter esse curaturum. Adjecit amplius, ut solet, egregiusque promissis facta etiam verbis ampliora. Ac cùm illi plurimum eo nomine debeam, quòd tuam mihi notitiam, amicitiamque operâ suâ patefecit; tum non minores tibi grates habeo, quòd apud Bartholomæum Morlanezum, quem mirifice prædicas, ejusdem te conciliatorem rei fore polliceris. Nihil est quod ejusmodi hominum, qualem hunc esse litteris tuis significasti, amicitia antequandem censent. Feci itaque quod rogabas, & ad ignotum aliqui virum, sed tua mihi commendatione probatum, litteras dedi. Quem quidem valde gaudeo antiquitatis omnis, ac doctrinarum istarum esse studiosum. Et tu verò litteras velim meas offeras, cum prolixa voluntatis in illum meâ testificatione. De B. Petri Alexandrini Martyris Opusculo gratissimum est quod scribis. præsertim cùm sit perbreve. Nunc enim in eo sum, ut Opus meum edatur in lucem, quo Doctrinam Temporum, & Scaligerianis repurgatam fabulis ac nugis, & ad notam veritatis exactam copiosè sum complexus. Ad hoc Appendicis instar accedent selecta quædam Græcorum ac Latinorum veterum Opuscula, quibus Computistica methodus traditur. Cujusmodi si quid in scriptis veltris latet, id ego magni beneficii loco à vobis accipiam. Habemus hic typographos duos fratres, quibus cum Madritensibus librariis infistoribus commercium est. Is ego has litteras ad vos mittendas dedi, simulque rogavi, ut si quid istinc ad me mitteretur, tutò perferendum curarent. quod illi prolixè receperunt. Itaque nisi quid commodius ac brevius extrices, uti illorum opera ne gravere. Vale.

EPISTOLA XLVI.

Bartholomæo Morlanezio V. Cl. Barcinonem.

INCENSUS sum Castellarnavii nostri litteris, & egregia commendatione cùm virtutis, eruditioisque tuæ, tum amoris in Societatem nostram, ac laudum denique ceterarum, tibi ut notus, & amicus esse valde cuperem. Ad hoc ille verò mihi perfacilem aditum ab humanitate tua pollicebatur, si prior ad te litteras voluntatis meæ, desiderique testes, & obsequia darem. Quod ille mihi,

mihi, cui te par est maximè esse cognitum, faciendum censuit, id ne insolens, ac tua dignitate alienum esset, vereri non debui. Vetus est præterea dictum

Αἰνῆσαν ἀγαθὸν ἀγαθὸν ὄντι δῆλον ἔστιν.

quod ad bonorum convivia bonos admonet sponte nec invitatos accedere. Quanto magis ad bonorum, & illustrium, hoc est tui similibus virorum usum ac notitiam, nobis qui quidem boni esse studemus, fas est etiam non vocatos percurrere? Sed hanc meam, sive quis audaciam interpretetur, sive intemptivam cupiditatem ac nimiam, si æquitati tuæ probare possum; aut si meus ille sequester & interpretes fidem præstiterit, non modò non penitentiam mihi, sed & gloriam in omni esse vita ducam. Ac si multum ad animorum conciliationem valet eorumdem studiosior societas & conjunctio: te illarum doctrinarum, quibus ab incunte sum ætate deditus, vehementi quodam amore flagrare, & in earum scientia longè principem esse, idem, qui tui mihi salutandi auctor est, Castellarnavio confirmat. Quo minùs dubitare certè debeo, quin tibi jucundum hoc officium meum, tua verò mihi humanitas ac benignitas in promptu sit futura. Opus habeo præ manibus, ac propediem in lucem proditurum, quod de Doctrina temporum inscripsi. In eo verò cùm populares multarum gentium annos accuratè disputo; tum Ecclesiastici Paichalique computi veteris rationem ac methodum. Quare quod ab eruditis tuique similibus postulare soleo, id à te etiam atque etiam flagito, ut si cujus Græci Latine Scriptoris super hoc argumento lucubratiò apud te exister, ejus mihi copiam facere non graveris. Id ego magno in beneficio, ac singulari reponam, & eo me nomine in sempiternum tibi devinctum putabo. Vale.

EPISTOLA XLVII.

Hieronymo Aleandro V. Cl. Romam.

AMOR erga te meus (Hieronymus vit clarissime) doctrinæ tuæ primùm famâ concitatus; postea etiam humanitatis opinione plurimum auctus, postremò vehementer inflammatus est, cùm me abs te amari certis ex indicis, atque ex Sirmondi nostri sermone cognovi. Quæ res eò mihi jucundior accidit, quòd neque ullis meis meritis à te sum amore læcessitus, & id ipsum, quod ego magna mihi mercede comparandum putarem, tibi ut amicus essem, tute ipse sponte tua detulisti. Quare cùm eo nomine majorem me tibi in modum devinxisti, tum audaciam fecisti; ut quod abs te impetrare studerem, apertè planèque perscriberem. Epiphani, quem ego Latine sum interpretatus, novam & accuratissimam editionem jamdudum molior. Quam in rem pluribus mihi adjumentis opus esse non ignoras, ac veterum præsertim Manuscriptorum copia: quam hic nullam aut perexiguam habemus. Nam qui unus in Bibliotheca Regia codex est, is mendosus est, & ad usum exemplar expressus potest videri, adeo cum Basleensi illa vetere, ac depravata geminus est. Quamquam nonnulla ex eo, nec penitenda in operam nostram contulimus: plura ex Schotti Antuerpiensis schedulis, qui ad Vaticanum Codicem Basleensem illam editionem olim exegerat: sed minùs opinor diligenter, & ad unum dumtaxat exemplar, nec ultra paginam 171. hoc est tertiam ferè Epiphani partem. In ceteris solâ conjecturâ nitimur.

Quare ni tibi id molestum est, hanc à me gratiam ineam velim, ut si quod in Vaticana Bibliotheca Manuscriptum est, & eo quo Schottus usus est plenius atque integrus, cum eo Epiphani partem reliqua conferri cures. Duo ad id video esse necessaria. Alterum, Codicem aliquem Basleensem excusum; cujus ad oram variz lectiones adnotentur. Alterum, quod fortasse difficilior est, hominem aliquem qui id peritè possit ac velit facere. Quorum neutrum imponi tibi à me est æquum, *ἄλλοτε δὲ δὴ τὸν φιλίας, ὅτε τὸν ἄλλοτε, sed utriusque certa hac ratione provideri potest.* Primùm ut Basleensem illum alicunde mutuo accipias,

fidemque facias, pro eò me recentis nostræ editionis exemplum aliud esse redditorum. Deinde, ut idoneum hominem vel mercedis interposita pacione quæras, cui hunc laborem possis injungere. Ego quicquid meo nomine spondideris, diligenter præstabo. Et quoniam Florentia in Magni Etruriae Ducis Bibliotheca vetustissimum Epiphani exemplar esse didici, vellem id per amicos, si illic tibi fiat, efficere posses, ut cum illo Basleensis Codex conferatur. Quod hoc modo confici potest, si dum Epiphani reliqua illa quæ in Schotti schedulis desiderantur, cum Vaticano comparantur, prior interim Basleensis pars Florentiam mittatur, quæ eodem tempore ad Florentinum castigetur, dum cetera cum Vaticano collata Florentiam mittat. Feci fortassis impudenter, qui tibi homini & gravissimo, & aliis in rebus occupato tantum oneris indixerim: sed nimirum quid à te, tuoque commodo vellem, libere ingenuèque præ me tuli. Tu si minùs id præstare, ac si facturum te omnino negaveris, non modò non irascar; sed deprecabor etiam culpam, atque alterum certè quod negare non potes, me ames nihilominus, meaque ipse opera utare, magno abs te opere postulabo. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

Luca Holsteinio V. Cl. Romam.

CUM præter officinam Sebasti. Cramosii nuperi, cùm transirem; paululum is me moratus à te litteras ostendit, in quibus erat, uti tuo mihi nomine salutem diceret. Longo abs te intervallo repetitam mentionem mei, recordationemque veteris amicitia nostræ gavilus sum: quam ne te priorum revocare occupasse putes, scire debes antè me Rationarii Temporum, cujus secundam editionem institimus, exemplar ad te misisse; idque illi ipsi Typographo nostro mandasse, ut inter sarcinas reponeret, quas Romam destinabat. Quas quia longo post tempore, quàm hinc decesserunt, ad Urbem pervenire constabat, tamdiu ad te scribere distuli, dum suspicari possem, librum illum ad tuas manus venisse. Hunc velim diligenter evolvas, & *νεμώμενον* omne tuum acumen in cum explices, ut si quid ibi peccatum à me deprehenderis, de eo me certior facias; neque verecundia te ulla, aut amicitia nostra deterreat; quin à me hanc gratiam ineam. qua nulla potest à te esse certior, mihi que jucundior. Scripsi ad Eminentissim. Patrum tuum Franciscum Cardinalem Barberinum litterarum hac ætate perinde ac purpurati Collegii columen, cui tu velim quicquid istud est libri commendes. Vale. 1633.

EPISTOLA XLIX.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

AGNOSCO tuam in me verè paternam indulgentiam: dum quod jure tuo imperare poteras, id à me impetrare maluisti: ac tam ardenti Catholici Regis studio non cedendum putasti antea, quàm me certior faceres, meamque de tota re sententiam ac voluntatem cognosceres. Quod consilium de me tuum cùm est per se mihi jucundum, tum eò gratius est, quòd illud ipsum, quod sponte quisque in sua parte faceret, id mihi mandasti uterò, ut si quod ad eam rem impedimentum haberem, id ingenuè profiterer, ac liberè. Ego verò, cùm duo sint, quæ in eam deliberationem incidere possunt, quorum alterum publicè, hoc est vel Provincia nostræ, vel totius Gallicanæ Societatis interest; alterum privatim ad me pertinet: prius illud, ne vel invidiosè aliquid de meipso dicere, vel de societatis in Gallia rebus timidè nimis augurari videar, omitam in præsens, ac superiorum nostrorum litteris ac prudentiæ reservabo: alterum, quod modò agitur, ac nominatim requiris, quam potero brevissimè, ac verissimè perscribam.

Scribis expeti me ab Catholico Rege, ut in consti-

tutis ab eo nuper Madriti scholis, publicè doceam. Magnifica res, & illustris, & quam plerique dissimili ac nos instituto vitæ, ac genere, non admittant modò libenter, sed ultrò etiam arcescant. Mea verò, cur eam provinciam defugiam ac detrectem, ratio est ejusmodi: quòd neque ab ingenio satis, & à corporis viribus nullo modo paratus sum, ut vel tam infinitè de me expectationi satisfacere, vel peregrinationi isti, commorationique tolerandæ idoneus esse possim. Corporis valetudo, quàm alioquin imbecilla mihi sit, testem habeo P. St. Charletum Assistentem: qui me Fixâ Lutetiam ad instaurandas scholas accitum, semel iterumque gravissimo, ac lethali morbo propè consumptum meminit: ac biennio deinde toto lentâ & quotidianâ febriculâ jactatum, quæ me non antè dimisit, quàm in patriam de medicorum consilio profectus, paulatim me nativæ ac genitilis aëris haultu perfunderem. Quo ex tempore longè gravior quàm ex nephritide, quàm ex vesicæ calculo morbus accessit. atque hic imprimis: qui mihi persæpe non insuavem modò librorum, ac litterarum usum; sed vitam etiam molestant, & ejus optabilem terminum facit. Hic enim me demum exitus manet, & animo meo obverfatur in dies; ut vel acerbissimo cruciatu finiendâ propediem vita ista sit; cujusmodi paucos ante annos Fronto Ducæus extinctus est: vel nihilo tolerabilior seclorum, chirurgorumque carnificina subeunda. Hæc me assidua cogitatione versantem; hæc metuentem in dies, horum curâ, & animi atque corporis ægritudine confectum, quos tandem animos ad istam scholarum Hispanienfium pompam allaturum esse confidis? In quo nec illud omitam quòd xx propemodum annorum experientia didici: mihi, quamlibet incolumi ac vegeto corpore, non ultra semel horam ad perpetuam orationem vires umquam, & latera sufficere. Atqui publica in illa professione legitimum horæ unius tempus esse solet. quod me nulla ratione explere posse, sanctissimè tibi prædico, ac denuncio. Accedit persequens ex bile languor, qui æstibus potissimum, & caloribus irritatur. cujusmodi in Hispania, mihi quidem ingravescente præsertim ætate proflus intolerabiles exsunt. Inde enim accidit, ut neque extra consuetam cœli temperiem sine morbo, ac vitæ periculo, diu perseverare possim, & quoties paulò longius iter pedibus facio: nam equorum, vehiculorumque jactationem propter calculi molestiam perferre nequeo: continua febricula consister. Hæc, ut alia minutiora præteream, quæ coram eloqui fatius sit, quàm in litteris istis ponere, me ab Hispaniensi illa professione vehementius absterrent; quæ cujusmodi sint, Paternitati tuæ statuendum relinquo. Ego quidquid de me decreveris, tamquam divinitus editum oraculum libenti animo promptoque suscipiam, & impigrè conabor exsequi. Vale.

EPISTOLA L.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

GEMINUM Paternitati tuæ hujus anni factum offero; libros à me editos duos, quorum alter Operis de Doct. Temp. reliquias continet; hoc est Scriptores aliquot Græcos majori ex parte jam in lucem editos, quorum lectio ac testimonio multum in commentandis libris de Doct. Temp. fueram adjutus, quosque tum unâ edidissim, nisi majorem in molem ne opus illud excreceret, veritus fuissim, ac satius ideo putassim in aliud differre tempus. quod mihi peropportum incidit, cum adversus Hispani cujusdam J.C. Diatribam, de qua ad te scripsim, quædam generis ejusdem & argumenti publicavi. Alter non à me quidem editus neque nomine meo inscriptus; sed ex variis ac dissipatis partibus collectus Juliani Cæsaris opera complectitur. Cujus Scriptoris orationes varias partim ab aliis, partim à meipso ante plures annos in vulgus emissas auctore me Typographus in unum redegit, atque ut hoc facerem, quod ante tredecim annos destinasse me audiverat, Eminentiss. Card. Barberinus non semel est hortatus, idque per Emin. Card. D. Bagnium à me petiit. cum prius Juliani ipsius epistolam adjoinedam reliquis ad me misisset. Qua voluntatis, humanitatisque suæ significatione cum meipsum insigniter;

tum librum sibi meum oppigneravit. Itaque recentem à prælo statim Cardinali Bagnio (sic enim hic voluit) ad illum perferendum dedi, cum litteris, quibus ei gratias egi. Quod meum munus, si commendatio tua, tibi erit commodum, accesserit, longè illi fiet acceptus. Est in Eminentissimi Cardinalis Bagnii comitatu vir quidam optimus, & humanissimus, illi à secretis, cui à Turri nomen est. Is duobus illis libris, quos ad te mitto, inter sarcinas suas locum dedit, seque tibi coram daturum recepit. quæ res mihi & jucundissima fuit, & magnam sollicitudinem exemit. Quod reliquum est, neque enim pluribus interpellare opus habeo, enixe te rogo, me meaque uti favore tuo, & apud communitatem Dominum, precibus tuis, & in sacrificiis mentione aliqua prosequi digneris. Vale.

EPISTOLA LI.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

LIBROS Paternitati tuæ mihi nuper admodum duos, quorum alter reliquias Operis de Doctrina Temporum persequitur, & auctores aliquos continet, quibus in illo commentando sumus adjuti, quorum editionem, quia moles operis nimium jam excreverat, prorogandam putavi, de quo ex lectorem admonui. Alter Julianus est Imperator, cujus scripta sparsim à nobis, vel ab aliis antea vulgata, quædam etiam hæcenus non edita, in unum conieci corpus: idque hortante, ac propemodum jubente Eminentiss. Cardinali Barberino tandem effeci, cum xv ferè totos annos distulissim. Spero utrumque tibi non ingratum fore munus, utile id quidem publicè confido fore. Hoc verò ab Avenionensi quodam juvene accipies, qui Eminentiss. Card. Bagnio Apostolicæ sedis apud Regem Christ. paulò ante Nuncio à secretis est, & ultrò ad id operam mihi suam detulit. Sed eos libros serius arbitror ad te esse venturos: quòd illorum iter morè plurimum habiturum video. Interim alterum mitto munus, natum anni hujus initio; carmen scilicet, quod in laudem Poëticorum Operum Sancti D. N. Urbani Pontif. scribere à te sum jussus. Velim probari vobis industriam meam. animum certè quidem & obsequendi voluntatem, quæ me ad id genus lucubrationis sola perpulit, alienum ætate nostra, institutisque studiis, quæ ad divinam Scripturam, sanctosque Patres, ac Theologiam universam transtulit. De quibus studiis occupationibusque nostris habeo quod Paternitati tuæ significem, & ad æquitatem tuam, humanitatemque confugiam. Ego postquam humaniores litteras profiteri desivi, sacras litteras cupidè sum amplexus, in quibus decimum hunc annum Lutetiæ ita versor, ut ad illarum tractationem, sanctorum quoque Patrum usum, ac studium adjungere solem: quæ me magnopere res oblectat. Sed habet hæc professio offensionis istud, quòd infrequentiores, & passim contemptæ illæ scholæ sunt, omniumque animos contentiosa ac rixosa Theologia ad sese rapiat. Quæ res docentis infringit animum, & quantumvis invito & obnitenti tædium solet asferre. Huic incommodo, si qua via posset occurrere cum per diu apud me cogitassim, id unum visum est aptissimum, ut qui mos in Lugdunensi provincia jam dudum tenetur explicandæ Scripturæ, in hac urbe, aut etiam provincia servetur: nimirum uti moralis Theologia, sive Conscientiæ casus, ut vocant, & Scripturæ sacra æternis scholis explicentur; & ad utramque societatis nostræ omnium annorum auditores conveniant. Ita enim Præceptorum fastidium, & ista quam dixi solitudo levabitur. Neque grave id erit auditoribus, immo verò jucundius; & ad eas artes admittendas, quarum majore affici tædio solent; moralis, inquam, Theologiæ, & Scripturæ, multo vetere illo instituto commodius. Si quidem æternis vicibus distinctæ rerum illarum disputationes uti fatigationis, ac molestiæ minus habituræ sunt, sic ad eorum animos facilius adherescunt, quos ex intervallo repetita magis, quàm assidue inculcata delectant. Equidem si id novum institutumque esset alibi, quod à te postulo, dum è re esse communi & istorum usu studiorum probare possem, impetratum iri non dissiderem. Non enim quicquid novum, id quia novum est repudiari idcirco debet: cum

ne vetus quidem esset aliquid, nisi novum antea fuisset. Cum verò & in aliis provinciis olim receptum sit; & illis ipsis, quibus maxime consulti oportet, studiis utile; & ab eorum professoribus optandum, immo necessarium sit: spero te & illorum omnium, quæ hæcenus exposui, & mei quoque privatim rationem aliquam esse ducturum. Vale.

EPISTOLA LII.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

NOVUM ante menses aliquot exemplar mihi Rationari Temporum; quod hic à prælo recens exierat; non modò recognitum diligentiore cura; sed auctum etiam, & alio, quàm dudum, ordine confectum. Id quæ tardiùs perventurum esse Romam, tam superiorum annorum experientia didiceras; tum Typographus noster aiebat, cujus inter sarcinas reponi iusseram: minus tempelivè has dedi litteras, quas quia commendando illi muneri destinabam, sic quasi comites, ac pedissequas, prius ad vos adventare nolui. Nunc cum instare jam tempus coniciam, quo librum illum accipias, hanc epistolam scripsi, partim commendatricem ut dixi, munusculi nostri; partim studii erga te obsequiique mei testem; partim denique promerendarum apud Dominum precum tuarum, & sacrificiorum conciliatricem, ac sequestrem. Vale.

EPISTOLA LIII.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

NIHIL humanius fieri potuit litteris istis, quas nuper ad me P. T. dedit: quibus me Romam ut ad te venirem, & id quàm maxime meo commodo facerem, est hortata. quorum alterum in magni beneficii loco à plerisque numerari solet, Romam ut omnino aspirare liceat: alterum singulariter in me cujusdam voluntatis habet; indulgentiæque non vulgare testimonium. Cui tam proluxa in me benevolentia, nisi quantæ postum vicissitudine amoris, ac grati animi respondeam: non illa solum indignum me esse, sed ne vita ipsa quidem me esse dignum existimem. Sed quò prolixiori, ac liberaliori in me es animo: eò cavere diligentius debeo, ne quid ejusmodi accidat culpâ dissimulationeque meâ, cujus gratia tum te consilii postea tui; tum me meâ profectioem poniteat. Quamobrem statim atque litteras tuas accepi, P. Provinciale conveni, de quo ex quæsi numquid de me ad illum scripsisses. Quod cum negasset, conieciuram ex eo cepimus, non eam mihi profectioem præcisè absoluteque à te mandatam esse: sed deliberandi mihi, ac si quid aliter judicare, significandi copiam esse factam. Itaque de communi sententia placuit, ut sacrificiis, ac precibus commendata re Domino prius; quicquid in mentem veniret, de quo te admonendum putarem, id impigrè, & audacter exponerem. Mihi verò sedulo in eam curam, ac cogitationem incumbenti tum difficilis, tum plena periculi visa illa profectio est; quòd neque pedibus tantum itineris peragere possum: & vehiculi perinde atque equi jactationem merito pertimesco. Quod enim aliàs ad te scripseram, cum de adeunda Hispania mecum ageres, haud obscura signa habeo latentis, & ad vesicam agglutinati calculi. qui quamdiu stipatus istic hæret, mediocrem habet molestiam: idem si agitatione crebra, & succussatione revulsus fuerit, intolerabilem afferet dolorem, ac planè mortiferum. Hoc ipsum metuens, equitatione, ac vectatione præsertim longiore uti desivi.

Accedit ad hanc causam etiam altera non minus gravis studiorum meorum. Nam Opus quoddam in manibus habeo Theologicorum dogmatum: in quo Theologicæ quæstiones omnes ex Scripturæ, veterumque Patrum, & Conciliorum decretis, ac sententiis disputantur. Cujus jam primus Tomus affectus est, & ad eden-

dum propemodum paratus. Hujus verò quòd superest, neque Romæ perficere, neque alibi, quàm tibi, ubi ceptus est, nisi incredibili cum labore possum. propterea quòd schedæ omnes meæ, in quibus Scriptorum locos adnotavi, certis Bibliothecæ nostræ libris, ac librorum paginis respondent, partim excusis, partim calamo exaratis, qui iidem, aut similes formæ, editionivè reperiri vix usquam omnes poterunt. Ita de integro elucubrandi ejus, quòd jam confectum est, resumendus erit labor. Hæc habui, quæ super hæc profectioem mea tibi proponerem. Quæ si minus probavero, ac si priore in sententia perseveres, in tua ero potestate; ac manibus, pedibusque reptabo potius, quàm ut spem tuam fallam, quàm de me in epistola tuæ initio poluisti, cum te seire dixisti apud me minoris esse cetera præ obedientiæ studio. Expectabo igitur, dum novis litteris, tum mihi, tum P. Provinciali, quid ab utroque fieri velis, explices: quod ut propediem facere digneris, etiam atque etiam precor. Vale.

EPISTOLA LIV.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

PIMUM ego felicem tibi hujus, quem inimus, anni cursum à Domino precor. Tum, ut mos est eodem tempore, quos caros habemus, eos pro viribus, donis ac munusculis prosequi, idem apud te officium usurpo; litterariūque munus offero, Theologicorum meorum dogmatum Tomos tres à prælo recentes: in quibus Theologiæ partem illam complexus sum, quæ de Deo, deque Angelis, & Opificio mundi disputat. Quam quidem Divinarum rerum tractationem, non veterè illa, & scholarum usu trita via, sum ingressus: sed novâ, & quod sine invidia dictum sit, nullus adhuc vestigiis impressa. Non enim subtilem illam, & obscuris Philosophiæ tricis involutam Theologiam institui, sed ingenuam, & amoenam, ac de limpidis & nativis Scripturarum, Conciliorum, Patrumque veterum fontibus liquidius profluentem: eamdemque non horridam, ac propè barbaram, sed cultu quodam humanitatis hilaratam atque conditam. Hoc si institutum probabis, animos mihi ad reliqua facies, quæ pari industria; & Divini Numinis fiducia prosequi statui: ad idque P. T. preces & sacra solito enixius imploro. Vale.

EPISTOLA LV.

Francisco Piccolomineo, Societatis Jesu Præposito Generali, Romam.

MAGNUM equidem ex R.P. Vincentii Carafæ obitu tu mororem ceperam, mihi que tecum, ac tota adeo Societate communem, quòd & vir erat apprime sanctus, & omnibus ad bene regendam Societatem necessariis præfidiis instructus. Quamobrem incredibilis de eo spes excitata in omnium erat animis, fore ut eo præfide, societas nostra quàm optimo in statu constituta floreret. Verùm ubi de electa in ejus locum P. T. ad nos fama pervenit, omnem illam animorum ægritudinem, velut novæ lucis exortu, repentina hilaritas absterfit. Talem enim didicimus tanto viro subrogatum esse, qui nec dissimilibus virtutum ornatu esse insignibus: & iidem persequendis vestigiis, quem nobis fructum ex eo pollicebamur, desiderari minime pateretur. Faxit Deus, ut spem nostram, quæ est de te quanta potest esse maxima, non æquet res ipsa tantum, sed etiam superet: ac per tot acerbitates temporum, velut fluctuum agitationes, navis acta societatis, in tutela præstantissimi gubernatoris acquiescat. Vale.

EPISTOLA LVI.

Gaspari Gevario V. Cl. Antuerpium.

SERIVS aliquantò, quàm aut pro officio nostro, Saut expectatione fortasse tua, suavissimis, humanissimisque tuis litteris respondeo (Gevario Vir Cl.) quod citra ullam tamen injuriam amicitie nostrae factum esse, tute ipse fatebere: cum, cur factum sit, didiceris. Nam cum amici cujusdam tui commendandi gratia potissimum ad me scripsisses; ac tuas ille litteras, neque mihi in manum dedisset ipse, neque cujus ad me opera pervenissent, divinare possem: feci quod in ea re quis faceret, ut rescribendi tibi curam in hominis illius, si me aliquando conveniret, adventum & colloquium differrem: uti si quid ejus causa praestitissimam, quod à me tu & illius pater (is enim unà tecum ad me scripsit) magnopere flagitabatis; utriusque perferberem. Verum nescio quo modo contigit, ut & ad me haecenus ille non venerit; & ego, dum huic spei, opportunitatque praestolor in dies, longius processerim. Hæc non solum excusandi mei causa: sed ut illius etiam, qui mihi abs te commendatus est, patrem certiore reddas, ad te scripsi. Nam ad illum tunc denique proprias dabo, cum de ejus filio, quod unicuique litterarum ipsius argumentum erat, aliquid extricavero.

Nunc ad epistolam tuam venio: in qua per mihi jucunda primùm expectatio tua fuit operis nostri de Doctrina temporum, quod ante annos facillè quindecim susceptum, octodecim abhinc mensibus sub prælo habetur. Id verò propediem exstabit. sed vereor ut expectationem illam vestram sustinere possit.

De Gottifredo Vendelino scripsit nuper ad me Heribertus Rosweydyus noster, & libelli cujusdam, qui etiamnum sub typis est, titulum primamque plagulam misit de obliquitate solis: cetera pollicetur, ubi in lucem exierint. Sed mirifica est alterius, quod, uti narras, idem ille molitur, inscriptio: *Chaos temporum, seu verigo opinionum de tempore orbis conditi*. tum alterum istud; *de Characteribus Diluvii desinentis*. In his temporum cardinibus, propter & antiquitatem, & historiarum silentium, summa inest obscuritas: nec alibi divinationum & conjecturarum impunitas major. Sed quod illius institutum sit, tum sciemus denique, cum ejus liber prodierit.

De Antonii vita, cujus recensionem meditaris, gratulor: & ut bene veritat, precor. Est hic juvenis quidam Germanus, Hamburgensis, ex Lutherano Catholicus, vir litterarum istarum, quantum intelligere potui, apprime peritus: qui de eisdem libri castigatone, & editione, jamdudum cogitare se dicit. Sed maturum id illi esse non putò. Locum illum verò Nicephori, ubi M. Aurelii Antonini meminit, excipit, mihi que dedit Sirmundus noster, qui tibi salutem plurimam dicit. Hujus ego schedulam his litteris adtexui. Deum precor, ut te tuaque omnia fortunet. Vale V. C. meaque, si qua in re commodare potest, operâ utitor. Lutetia Parisiorum, Nonis Novembris. CIOCCXXVI. Andree Schotto, optimo & eruditissimo seni, salutem à me dicitò.

EPISTOLA LVII.

Gaspari Gevario V. Cl. Antuerpium.

GRATUM tibi officium in te meum fore, sperabam equidem, & ut esset, optabam: tam valdè placitum esse neque suspicatus eram; & ita accidisse magnopere gaudeo, atque istud ipsum abundantia quadam factum humanitatis interpretor, ut quod leve est ac propemodum nullum; id non solum agenda, sed referenda quoque gratia, magnum & illustre videri velles. At ego te vicissim de isto munere quod ad nos misisti, amo plurimum, & gratias habeo. quod idem & Sirmundus facit. Vendelinum tanti à vobis fieri, neque miror; & illius causâ, valdè me delectat. Scripsit ad me sanè quàm copiosas & eruditas litteras, certis de rebus, de quibus partim sciscitatus eram; partim eæ contro-

verse inter nos erant, & dubia. Ad illas etiam uberius rescripsi. Et ejusmodi vir est; ut ex ejus amicitia, doctrinâque magnum jam fructum ceperim, & majorem postea capturum me esse confidam. Vale, Vir eruditissime, nosque (uti facis) ama semper, ac tuis apud communem Dominum precibus commenda. Lutetia Parisiorum VI. Kal. Mart. CIOCCXXVIII.

EPISTOLA LVIII.

Gaspari Gevario V. Cl. Antuerpium.

NON oblivione sepultam, aut languentem apud me recordationem tui, sed spirantem adhuc, majorem in modum excitavit littera tua, & ut latere effecerunt: natam mihi hanc occasionem longo ad te intervallo scribendi, quod jam pridem facere debebam. Sed scis quàm spissum ac difficile sit vitatas ac perennes studiorum curas, & commentationes incidere, ac minimè necessariis de rebus obstrepere homini; & in eodem privatarum occupationum genere, & in publicis tractandis negotiis assidue defixo: qualem te esse, conjecturam ex illo munere facio, quod in illustri civitate splendidum geris. Verum quoniam ultrò tu me hoc officio provocasti, utar exemplo tuo, ac tibi vicissim incolumitatem ac salutem, & felicem, optatumque ineuntis anni cursum imprecor.

Non melius erit illis, qui otium interpellare tuum, & hostili stilo lacessere te ac villicare sunt ausi. Sed quod de novo tuo antagonista queris; scire te volo, hominem esse laicum, & conjugio implicatum, & aliqui probum ac pium. Quò fuit illius tota hac urbe mirabilis & inopinatus factum, quando in N. levicula de re, adeò intemperanter acerbèque commotus est: quod profectò nemini, ne amicorum quidem suorum, probare potuit. Sed non te praterit, quàm sit non vatum solum, ut ille dixit, verum etiam Criticorum genus irritabile; & horum fortasse, quàm illorum, crebrius, ac vehementius. Mihi verò si credere vis, nolim quaecumque in te meritum illius est, impotentius in eum effèri te. qui si te nosset, morèque tuos, tecum aliter existet, ac plus ille sibi, quàm tibi, publicam ad famam, commendationemque, detrimenti attulit. De tua erga se benevolentia & Antitrifiani sui commendatione gratias agit tibi Jacobus Sirmundus, tæque cum primis salutem. Scis opinor, ante mensem circiter unum decessisse veterem tuum patronum Memmium, brevi intervallo post fratris sui Avaxii obitum, quorum interitu duo Gallia nostræ lumina sunt extincta. Ea videlicet humanarum rerum conditio est, nihil ut in illis nisi mortale sit, & perpetuâ vicissitudine suspectum & anxium. Quò nos ardentius par est ad immortalem gestire cum Christo vitam, & eò cogitata omnia & consilia referre. Ita te sentire, itaque facere confido, & ut perpetuò sentias ac facias opto: meique vicissim, apud communem Dominum, ut memineris, oro & obtestor. Vale. Lutetia Parisiorum Prid. Eid. Jan. CIOCCXL.

EPISTOLA LIX.

Alberto Cicitio Societatis Jesu, Dilingam.

HÆRI me absente Mathematica tua Theorematà ad nos perlata sunt. Postridie convenit me negotiator, ac si quid ad te vellem, quàm celerimè maturare jussi: se enim eodem die profecturum. Itaque raptim hanc epistolam exaravi; ut hoc saltem tibi grati animi testimonium præberem. Ago itaque gratias, & si qua re potero referre, deinceps enitar. Habebat idem ille nunciis à Laimanno nostro mandati nonnihil de libris suis, quos hic excusos audierat. De qua re nihil haecenus scio. Dabo verò quamprimum operam, ut si possim, quod à me petiit consecutum reddam. Hunc interim à me plurimum saluta. Vale.

EPISTO-

EPISTOLA LX.

Stephano Menochio Societatis Jesu, Romam.

QUOVO modo bene mereri de te licet, id ego pergratum habeo, & amplector cupidè, permotus, & eruditione, quam singularem ex libris tuis comperi, & humanitate, quam multis testibus, ac prædicatoribus, jamdudum perspexi. Itaque quantumvis leve fuit, quod mihi nomine tuo Bagotius noster injunxit, pro viribus exsequi studui, ut de Commentariorum Bibliorum nova editione, cum Typographis nostris agerem. Ac quid principio actum à me sit, cum primùm rem suscepi; ex iis litteris quibus statim Bagotio respondi, cognosces. Quod deinde fecerim, ex me ipse breviter exponam. Cum societatem inter se coissent tres hac in urbe librarii mercatores, de tuis aliorumque commentariis recendendis; litem illis movit Berterius, quod Tirini se habere scholia ab illo recognita, & aucta diceret, quæ grandi sibi ære pepererat: & à Francie Cancellario eorum edendorum privilegium impetrarat. Ea res societati illi moras injecit. Tandem inter illos convenit, ut in eam societatem quartus adscriberetur Berterius. Id nunc opus urgetur prælo duplici, ut duo simul volumina cadantur. Quare sciscitanti mihi, vellente tantisper cæpto supersedere operi, donec certiore te de eorum consilio facerem, negarunt id sibi integrum esse: quòd operas jam conductas haberent, quas si dimitterent, vix recuperare postea possent. Itaque si quamprimum schedas tuas mitteres, se ex iis quod reliquum esset, planè ut velles persecuturos. Ex iis autem, quæ jam essent edita, quidquid novi adjectum foret, id se in unum collectum, operis in fine posituros esse. Vale.

EPISTOLA LXI.

Terentio Alciato Societatis Jesu, Romam.

DUPPLICITER me litteræ tuæ delectarunt (Eruditissime Alciate.) Nam & plenz sunt ingenuitatis cujusdam, ac candoris antiqui; & Christiana modestia sususum animum redolent, minimèque de se magna sentientem. Ingenuitatis id primùm est, quòd contra quàm mos hodie est, fucò omni detractò, rectâ me ac nomine meo appellare instituit, nec per ambages titulorum, ac circuitus Reverentia ac familiarum exortus es, quæ à vobis italio nos Galli didicimus: cum simplex, probum, ac Latinum sit, tu, te, tuum, dicere. Itaque te hac de causa plaris facio, consuetudinèque tuam, & quoniam ita vis, familiaritatem. Quod mihi quidem amplum, & honorificum est: cum eâ sis inter tuos Romanos auctoritate & gratia; ut non mediocri ornamento tua mihi sit amicitia futura. A me verò quid in te vicissim redundare possit, quò accessio tibi fiat aliqua dignitatis, equidem nihil video: neque cur tantopere id ambires, ac te adeo summitteres, causa tibi ulla foret; nisi, quod alterum mihi in tuis litteris amabile visum esse dixi, tua te singularis animi moderatio, & ab omni aliena fastu benignitas ad id esset hortata; cujus id proprium est, bene sentire de omnibus, & in judicando, ac laudando esse liberalem. Hæc cum dico, pudore te aliquo fortasse perfundo. Quod si facio; vicem tibi reddo laudationis illius, quâ me tuis in litteris nimis invidiosè ac præter meritum decarasti. Quò uno illarum excepto capite, nihil iis mihi potuit esse jucundius. Neque verò me ut tibi conciliare sequestrè ullo & interventore opus habuisti. Vel ipsa levissima voluntatis tuæ significatio, ad amorem tui, & quàm facillam mei, mearumque rerum omnium copiam tibi faciendam inflammare potuisset. Itaque sic de me habes velim: postquam intellexi tanti id abs te fieri, & in quodam lucro poni; quod vel minimè petenti ultrò deferendum à me foret, id omne tibi promptum ac paratum esse; quod quidem præstari ab homine potest, re ipsa quidem minore, quàm est opinione tuâ: sed tamen & tui observantissimo, & officii amicitiaque

Pars III.

cultore cum primis studioso. De Concilio Tridentino, gaudeo id tibi oneris impositum à majoribus fuisse. Non potuit, neque manus illum dignius te; neque munere isto, quàm tu es; dignior adhiberi. Spero tibi laborem hunc ex voto successurum; idque ut pro eo ac spero; ita veritat, Deum enixè precor: ac te, ut idem meâ causâ facias, etiam atque etiam obtestor. Vale.

EPISTOLA LXII.

Terentio Alciato Societatis Jesu, Romam.

JAMDUDUM hic rumor increbuerat, quatuor viros è sanctiori Consistorio delectos esse ab S. D. N. quò de famoso Arnaldi libro, ejusque placitis ac decretis cognoscerent, dequè iis ad Consilium postea referrent. Intellexi autem ex litteris tuis, agi potissimum in præsentia de ea libri parte, in qua de duobus Ecclesie capitibus disputatur. Quo de argumento, quod à me petis, dicam breviter: falsos omnes, & partim inscitia, partim malevolentia occæcatos esse, qui hoc scripto, vel sermone dissipant; assentiri me illorum opinioni, qui Petrum ac Paulum duo Ecclesie fuisse capita defendunt. Quam sententiam profus inceptam, absurdamque esse judico. Nam est duos Romæ Episcopos unus, quod sciam, illos Epiphanius appellat: non ex eo tamen consequens est, totidem Ecclesie totius capita fuisse. Etenim Apostoli omnes, totius Ecclesie Pastores, & Episcopi fuerunt; hoc est, nullius loci finibus determinatam, & circumscriptam potestatem, ac jurisdictionem habuerunt. Quod in libris de Hierarchia, post Bellarminum, ceterosque Catholicos, ostendimus. Verum tamen & horum omnium, & totius Ecclesie caput fuit Apostolus Petrus. Quæ vox capitis, non Apostolicam solum, & Episcopalem functionem significat, sed eminentem præterea supra reliquos auctoritatis excellentiam: quæ ex voluntate Christi in unum est collata Petrum Apostolum, ab eoque propagata est in successores deinceps Romanæ Urbis Episcopos. Itaque capitis appellatio in uno Petro præter Apostolicam dignitatem, & Episcopalem, quam utramque communem cum reliquis Apostolis obtinuit, præterque principatum Collegii Apostolici, quem ei nominatim Christus detulit, hoc insuper habuit, ut quasi ordinaria potestas esset: hoc est, ut in successores Petri Romanos Præsules, eo mortuo, propagaretur. Qua quidem prærogativa ceterorum Apostolorum caruit: quibus extinctis summa est illa, quam in Christianis omnes gerant, sublata potestas. Insulsi ergo sunt, ac litis, novitatique cupidores, quàm veritatis, nuper isti dogmatum confarcatores, qui duorum capitum fabulam commenti sunt; in qua refutanda, non est constituendum operæpretium: quòd & summi apud nos viri, ac doctissimi jam illud argumentum occupant: & ad illam refellendam, pauca illa, quæ attigi in præsentia sufficiunt. De me quidem, quod potissimum rogasti, sic habeant qui ex te scire volunt quid de ea questione sentiam: numquam me duo Ecclesie capita vel per somnium esse credidisse; & ut paulò antè dixi, Episcopi nomen ab capitis vocabulo sejunxisse: quorum alterum in Romana Ecclesia commune tribuit Epiphanius Apostolis duobus: quod ipsum nihil aliud interpretor, quàm auctores & fundatores ambos illius Ecclesie fuisse. Hanc meam de singulari Ecclesie capite veterem & constantem fuisse sententiam, tetralicho teste confirmare possum: quod ante annos septem & viginti, cum primæ Scholæ præfessum hac in urbe, inter poetica opera nostra typis edidi de SS. Apostolorum Petri & Pauli festo die, ac martyrio: quod epigramma, quia non in vitis Musis & Gratiis excidisse mihi videtur, hic tibi describam.

Cetera cum similes fuerint, cur stipse fixus
Alter, at huic seruo tollitur ense capus?
Nimirum capus ille orbis; capite hic minor uno:
Nec duo, nec nullum debuit esse caput. Vale.

Yy

EPISTO-

EPISTOLA LXIII.

Joanni Bapt. Rossio Societatis Jesu, Romam.

OLTIM tibi debitor eram non pecuniae; sed, quod amplius est, gratiae: quod meam causam tantum elaborasses, quantum ab veteri amico, & multis ac magnis beneficiis mihi devincto vix sperare poteram, homo nulla re tibi, nisi communi societatis nomine conciliatus, & cognitus. Accessit ad officii cumulum nuper etiam pecuniae debitio; quam pro me in Mediolanenses librariorum dependisti, qui Themistianas orationes ex veteri exemplari jussu meo describunt. ita enim mihi Bernard. Bragelonus suis litteris significavit: quas novissimas affirmabat Roma dare se: quod subinde ad nos in Galliam profecturus esset. Itaque monuit me, ne ullas Romam ad se amplius mitterem: sed ad te deinceps scriberem; quem quidem rogasset, ut illius quod reliquum est Mediolanensis negotii, exscriptioque conficeret. Quoniam igitur hanc tibi curationem ex asse delegari passus es, pro tua caritate ac benignitate, feres me deinceps interpellatorem non minus molestum: gratum quidem, ac tam prolixum in me studii, beneficiique memorem. Atque haec, duorum, quae initio commemoravi, nominum prioris est solutio. De posteriore, quod est pecuniae, simul atque rescivi ex ejusdem litteris, egi cum Sebastiano Cramosio Typographo nostro, qui se ad Hermannum, vestratem Bibliopolum, quicum ipsi negotium est, scripturum recepit, uti tibi quantum necesse est ad impensas eas, quae jam factae sunt, & quae postea fient, pecuniae suppeditet.

Scribit idem ad me Bragelonus aegre tulisse te, ac Mediolanensibus illis exscriptoribus succensuisse, tum ob immanitatem pretii, tum quod Orationes aliquot jam a me editas ex veteri codice descripsissent, contra quam inter nos convenerat. atque ideo mandasse ut a scribendo superederent, donec certius a nobis aliquid accepissent. Verum peto abs te, uti ne intermittere patiaris operas, neque sis de pecunia sollicitus: quae abunde vobis mea fide suppeditabitur. Sed de eo velim iterum admoneretur, ut ne orationes illas describant, quae jam a me sunt editae. Quamquam pauca admodum superflua, ac non plures opinor tribus, aut quatuor. Velim autem, cum schedas illas ad me mittes, fasciculo Cramosii nomen inscribas; qui se & ad te, & ad eum, quem ante nominavi Hermannum, de suppeditanda pecunia scripturum esse mihi promisit. Vale.

EPISTOLA LXIV.

Joanni Bapt. Rossio Societatis Jesu, Romam.

PLURIMUM tibi debere me sum professus saepius: nec sentiam aliter umquam, praeterquam me feram. Nam non vulgarem operam navasti mihi, ut quod ego maxime cupiebam, id effectum redderes; ac Themistianas mihi curares orationes illas, quae magno flagitio jacebant in tenebris, nec se publico commoabant. Harum nuper ego quod erat residuum accipere: quo nomine gratias tibi immortales ago. Unum illud dolebat, quod tam spissae, ac maligne suppeditatae sint vobis pecuniae: de quo egi cum Sebast. Cramosio; ut quamprimum Hermannus vestrati Bibliopole mandaret, uti quod ex illa ratiuncula reliquum est totum dissolveret. Putaveram nihil deinceps desore, quo minus ex asse vobis satisfieret. Sed lentum negotium est, praeterquam ut sunt tempora, ab mercatoribus istis as exprimerem. Valebit illud ad augendam beneficii magnitudinem, quod nonnullis incommodo, ac molestia tua, tuorumque, ita meritis de me fueris. Et memorem me profecto semper habiturus es: ac si nihil aliud tua causa vicissim queam; tibi saltem officio non deero, ut remuneratorem allegem vice mea D. Jesum; a quo precibus, & quibus aliis potero modis, impetrare studebo, ut te sua gratia, & sospitate perpetuo dignetur. Vale.

EPISTOLA LXV.

Athanasio Kircheri Societatis Jesu, Romam.

QUAM ad me librum misisti, accepi pridem; non Prodrum illum, de quo inter nos actum est: sed alterum, in quo linguae Copticae Grammatica, & vocabularium continetur; doctum opus, & laboriosum, & ingenio tuo ac eruditione dignum. Hunc ut primum apertum librum, fore in supplementum incidit, si ve disputationes de anno & mensibus Copticis, & aliis ejusdemmodi. Quae cum attentius legere statuissem, & cum iis, quae de eodem argumento commentatus olim fueram, conferre; quo accuratius meam de illis sententiam perscriberem, id quod cupere te mihi significaras: diem ex die protrahi longius sivi, quam destinaram. Adeo multis inter haec interpellantibus me curis ac negotiis, ab officii sum cursu revocatus. Hoc a te peto imprimis, ut ignoscas: tum ut pro tanto munere, quam amplissimas a me tibi gratias agi interim scias; dum haberi qualescumque occasione data poterunt: postremo, quod facturum me significavi, ut de anno Aegyptiaco & Sothiaco quaedam adnotarem; id me per otium meditari, ac dudum intermissa recollecte studia ista patiaris. Vale, mi Pater, meque in tuis numeris, & communem pro me Dominum precare.

EPISTOLA LXVI.

N. Olyssiponem.

PURGAREM me apud te, quod ignotus, tantoque locorum intervallo distractus, ad ignotum scriberem: nisi eam vim caritatis esse scirem, ut alienissimos inter se mutua quadam officiorum ac voluntatum conjunctione sociaret. Ac praeterea, causa mihi ad scribendum est ejusmodi, nulla ut alia vel iniustitiam possit esse iustior. Quam quidem ego tibi breviter exponam. Aurelianensis cujusdam civis, popularis mei filius, paucis abhinc annis Parisiensis mercatori, ac fereci, ut opinor, insilito se in familiam dederat. Hic statim Olyssiponem, qua in urbe negotiabatur, ad res suas procurandas juvenem destinavit. Qui cum aliquot annos ita illic versatus esset, ut fidem indulgentiamque suam vehementer probaret, postea nescio quid rumoris allatum est, agere interim res suas juvenem, & in herili re tuenda & amplificanda, privati quoque commodi rationem habuisse nonnullam. Quod verum an secus jactatum adeo mercatorum commovit, ut is in Lusitaniam post paullo profectus sit. Ibi quid egerit, neque reversus ille cuiquam significavit, nec aliunde sciri haec potuit. Scriptae quidem paucos ante menses ab adolescente sunt litterae, quibus suos admonerebat, ne qua in re mercatori illi fidem adhiberent, neve illi quicquam concederent; ac se in reddendis rationibus ab illo esse circumventum querebatur. Mercator interim Olyssipone reversus, adolescentis parentibus vadimonium dicit, remque ad capitalem causam, & ad furti domestici crimen atque invidiam trahit. Ex quo mirae hic tragoediae concitatae sunt. Quam obrem cum de adolescente certi nihil compertum foret; oratum ad me parentes istius venerunt, sibi ut hac in re, quibus postem rationibus, opem afferrem. Id se unum in praesens optare, ut quas ad illum litteras scriberent tuto perferendas curarem: neque enim ejusmodi esse, cuius ut eas auferent committere. Fecit haec illorum sollicitudo, ac mea in te sociisque nostris fiducia, ut iis etiam ampliora pollicerer. Quorum ut fidem liberem, peto abs te majorem in modum, ac precor, ut de juvene illo, cujus nomen, ac domicilium ex litterarum, quae ad eum datae sunt, inscriptione scire poteris, inquiri jubeas, eique ipsi tradi litteras, ac si qua in re potes, hortatu, consilio, auctoritate, omni ope denique peregrinum subleves; cum ea exceptione, quatenus id tuo commodo, atque ex Societatis

LIBER TERTIUS.

cietatis more institutioque potest fieri. Quod si aut abest ille, aut nusquam comparet, litteras ad nos velim renittas. id enim a me parentes ipsi postularunt. Postremo quicquid juveni ulla in re commodatum a vobis fuerit; id mihi praestitum arbitror.

Quoniam aliena in re, ac commendatione, parum me fortasse pudentem praebui: idem ut in mea mihi causa liceat, etiam abs te contendo: si mea hoc tamen privatim interest, quod ad publicum fructum jam dudum a te comparatur. Cum enim Opus quoddam de Doctrina Temporum adversus Josephi Scaligeri commenta de Emendatione temporum, aliaque id genus, pridem susceperim, opus ad id fore mihi video, cum alio rerum apparatu; tum variarum nationum Kalendaris ac Computis, Aethiopicum praesertim, & Coptitarum, tum Orientalium, ut Sinarum, Japonum, Indorum, populorumque ceterorum; quorum de annis magno ille conatu magnas nugas effudit. Quas ut in reliquis facile praestiti, sic in illis deprehendere, ac patefacere, sine propriorum cujusque Kalendariorum adminiculo, non possum. Quare peto illud insuper; ut si quid a vestratibus, qui per illas regiones dispersi sunt, curari obtineri potest, id mihi per litteras significes. Summa autem haec rei est, ut propriam cuiusque nationis, anni formam, ac mensium dierumque descriptionem: necnon & epochas, sive annorum initia: tum intercalationes, ac cetera quae eodem spectant, Latine quam-fidelissimè ab illis perscripta mittantur. Hoc si impetravero, magno me a vobis beneficio devinctum putabo. Ac si quid est vicissim, in quo meam hic operam desideres, strenuè id a me praestatum iri confide. Vale.

EPISTOLA LXVII.

PRIMUM hoc ad te scribo; a teque peto: quod & eo ipso majori spe sum ad impetrandum. Hoc igitur posulo, ut quem inter discipulos tuos habes N. non is quidem multo quam nunc est commendatior sit: satis enim te scio, ad id quod officii tui est sponte tua concitatum, monitor, vel suffragatore neutiquam habere opus: sed ut fidem de illo meam, & auctoritatem, quam in me nonnullam, ad eam rem esse suspicati sunt, apud ejus parentes liberes: praeterquam feras, aliquid procuracione nostra esse perfectum. Nosti quam sit hominum ejusmodi improba, & supervacanea plerumque sedulitas. Ea fecit, ut id a me, quod vel officio ipso debitum putant, magni beneficii loco petent, ad te ut accuratissimè ea de re perscriberem. Dedi hoc non tam illorum precibus, non tam propinquitati ac sanguini, quam sanctiori cuidam in Christo necessitati nostrae: ut quanto ea nos arctius, quam natura ipsa copularet ex eo periculum facerent, quod postulatione mea impetratum viderent. Hoc ut reipsa ex votoque succedat, dabis, mi frater, operam, non tam acriori in illius profectu curando operam ac sollicitudine, ad quam nihil fortasse potest adici, quam genere quodam significationis: quae, cum infinite pateat, nihil certi tibi petitione mea praescribo. Hoc unum rogo, ut quantum secundum Deum causa mea velis, hac una in re demones. Vale.

EPISTOLA LXVIII.

QUAM te ratio tuafessellerit vides; qui vacationum tempus, quo ad me scriberes, elegisse te eo consilio scripsisti, ut otii plus ad respondendum haberem; quod per reliqui temporis occupationes minus id possem facere. Atqui totum tibi spatium illud vacuum litteris meis abii. non quod tui me taedium, aut oblivio cepere; cuius amorem cum perpetua recordatione sanctissimum habeo: sed quod neque mensis ullus umquam impediret mihi superiore isto fuit; & vix dum constituta tibi habitaculaculo, paullisper differendam responsionem putarem; dum tu fixo in loco, ac velut certa statione constitisses. Quam quidem inter convivores tibi contigisse; tum tuam, tum illorum causam gratulor: tuam, quod hanc assidui in Philosophia laboris, conten-

Paris III.

tionisque non infructuosam intermissionem nactus es: illorum vero gratia; quod usu, institutioneque tua, haud paullo meliores fore confido; si tu is esse pergis, quem & fuisse cognovi haecenus; & futurum esse deinceps auguror. De N. quem tibi contubernalem esse gaudeo, omnia tibi polliceri potes; quae & ab adolescente optimo; & ab tui peramante, & non imperito, expectari officia solent: quae ut ab eo quam in te maxima sint; commendatione mea perficiam. Unum est, quod abs te vicissim contendo, uti mei perpetuo sis memor, ac me tuis apud communem Dominum precibus quam diligentissimè commendes. Vale.

EPISTOLA LXIX.

Francisco Hardiso Societatis Jesu.

SIC quasi ad Areopagitam habendus mihi sermo; non ad te scribenda epistola sit, ita sine ulla exordii pompa, postulatis tuis quam brevissimè satisfaciam. De Ciceronis lectione probo consilium tuum. Nihil utilius persequi modò potes, quam quod facis; uti stilum tuum illius suavitate elegantiaque condias; sic quasi oleo, vel unguento, cutis tuae scabritem detergas ac lenias. Eodem & Elegiaci carminis studium pertinebit. Est enim molle ac tractabile genus & insitit tibi grandiloquentiae depalcendae istud, quae tragicum illud, aptius. Ne te tamen nimium demittas atque ex Audaci, timidus, & χαμηλότης aliquando fias, τρυφῶδῶς funditus non veto: sed cave ἀποεργυμῶδες; inde aliquid ex consuetudine in orationem tuam derives. Laudo argumenta, quae tu tibi selegisti. Ad Graeca quod attinet, grammaticis te praecipis sufficere antea cupio, atque ad brustam nostram, cujus te oblitum non puto, penitus exigi: postea in legendis Scripturibus diu, multumque volutari. Neque tamen Graecae scriptiois usum funditus omittes. Utrumque igitur ita temperabis, plusculum uti lectioni, quam scriptiois tribuas; immo illud assidue, hoc interdum adhibeas.

His a te quaestiuiculis petitis, vicissim te unā, & perbrevis laesam. Me puero frequens erat in patria rumor, N. Ministrelli patrem in NN. familia Monachum fuisse. Id cum ei a viris primariis obiectum sit, acerrimè ille negat, & in nupero libro, quem contra Cardin. Perronii Opus edidit, fallum id esse quovis pignore contendit. Ego dum in eam rem attentius inquirerem, certis auctoribus comperi, proflus in N. Cœnobio, inter monachos, illius patrem meruisse. Tu velim rem subodorere: sed cunctanter atque è longinquo arecessito sermone, velut aliud agens istud exprimas. Tum ubi homines calefeceris, acris deinde vestiges, eoque perducas; ut, si fieri potest; privatis in Cœnobii tabulis aliquid elicias. Hoc si strenuè, naviterque perfereris, magno me tibi beneficio devinctum putabo. Vale.

EPISTOLA LXX.

GRATISSIMA mihi fuit epistola tua ab ea parte; quam fortasse vix suspicere. nam tu id alterius causam, & obiter injecisti. Hoc enim scribis, convalescisse te penitus ex ea febricula, quae plus aliquantò fastidii habebat, quam doloris, aut periculi. Ideo vero putas accidisse, quod caelo istic utare salubri & commodo, mirificèque naturam ad tuam factio. Haec pauca obiter, ut dixi, ex occasione jacta amplius me opinione tua delectarunt. non solum quia te amo, & bene tibi, atque ex animi tui sententia evenisse gaudeo; sed etiam praeterea cogitantem, quam suaviter, utiliterque consulat rebus nostris Divina providentia, dum ad ejus nutum, hoc est, majorum arbitrium non fingimus. quod utriusque nostrum documento esse potest; nullam eo certius ad animi securitatem, & salutem iter esse, quam quod tenere cepisti; ut illinc totus in omni tua vita pendeas. Cetera epistolae tuae non minus jucunda videntur. Vel filius ipse, quantum habet nitoris & elegantiae! cuiusmodi te consecrari genus in dicendo, ac scribendo, maxime cupio, & ut volo, in spe jam esse, quia

Y y a

telles